

Alte Drucke

Daudis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

DAVIDIS CHYTHRAEI, In Psalmum CXVIII. CONFITEMINI. Praelectiones ex ore
docentis exceptae.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

Chytr

DAVIDIS CHYTRÆI,

In Psalmum CXVIII.

CONFITEMINI.

Prælectiones ex ore docentis exceptæ.

REVERENDISSIMO DOMI-
NO, ANDREAE FOSSIO, EPISCO-
PO BERGENSI, IN INCLYTO RE-
GNO NORVVEGIÆ:

I. Elias Euander S. D.

Proprium ecclesie in cœlis carmen triumphale & Epinicion erit Psalmus Confitemini: perpetuas & ardentes Deo laudes pro omnibus beneficijs & liberationibus sonans, ut scriptum est, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Vbi addit Augustinus, Totum negotium beatorum in vita æterna erit sine defectu Halleluia. Vult autem Deus has laudes & celebrationem Dei, ab ecclesia in his terris militante inchoari. Ideo, formulas laudum dinitarum, & verba certa, nobis in Psalmis Eucharisticis præscripsit, in quibus, cum, ut Sirius inter cæteras stellas, emineat ac eluceat Psalmus Confitemini: enarrationem illius, ex ore docentis obiter exceptam, cum alenda pietati & discentium studijs non inutilem arbitrarer, perire nolui. quanquam cum ab autore non prius scripta & dictata sit: quadam fortasse, inter excipiendum, minus coherentia, & nudius ac brevius, a me annotata sunt. Hanc qualemcumq; industria mea operam, ad R. D. V. episcopo vigilantissime, quem præceptoris mei amicum, & scripta illius non odisse intelligo, mittere volui: reuerenter orans, ut R. D. V. me meaq; studia sibi etiam commendata esse patiat. Benè & feliciter R. D. V. æternum valeat. Rostochij, Die S. Gothardi episcopi. Anno 1520.

In Psal-

In Psalmum CXVIII.
CONFITEMINI.

727

Era Theologia & Religio Christiana est verum **D E V M** conditorem nostrum & redemptorem Iesum Christum, recte ex verbo ipsius agniti timere & diligere: & firma fiducia, in misericordia & favore Dei, nobis propter Christum propitij, adquiescere: quotidie & ardentem inuocare Deum, & pio corde ac voce gratias ipsi pro omnibus beneficijs agere. Alios etiam homines & proximos nostros propter **D E V M** diligere, & quibuscunq; possumus officijs, docendo, consolando, beneficiendo, iuuare, & iusticiam, veritatem, mansuetudinem, beneficentiam, castitatem, temperantiam, misericordiam & ceteras virtutes verbo Dei mandatas religiosè colere, vt Deo Archetypo conformes simus, & alios homines ad veram agnitionem & celebrationem Dei inuitemus.

In his veræ pietatis, & fidei, Inuocationis, Gratiarum actionis erga Deum, & benignitatis erga proximum officijs, vera Theologia & religio Christiana potissimum sita est: non in argutis contentionibus & curiosarum disputationum rixis, quæ nostra atate recrudescentes, non sublatam, sed mutam superioris ætatis Sophisticen ostendunt.

Prodest igitur iuuentutem in scholis, ad piam lectionem & meditationem Psalmorum, & reliqui verbi à Deo traditi, per quam solam, & non aliter, **D E V S** ad salutem efficax est; & ad exercitia precationum, fidei, Gratiarum actionis potius, quam ad certamina & rixas adsuefieri. Hoc consilio, cum alioquin in hac vitæ, valetudinis & omnium rerum mearum incertitudine; longioris scripti, vt historiæ Regum & Paralipomenon, ad quam ordo nos deduxerat, expositionem institueret non liceret, nam vitæ summa brevis spes & res vetat incoare longas: Psalmum hunc, qui tamen doctrinam Evangelij præcipuam; & Consolationem ecclesiæ propriam, ac Exhortationes ad celebrationem Dei, fidem, confessionem & laudes diuinas cõtinet, vnum certè ex pulcherrimis & splendidissimis in toto Psalterio delegi, quem in schola prælegerem. Ac vt de Psalmorum generibus & finibus diuersis, diu præfari non opus esset, Distributionem Psalmorum in tria causarum genera, quæ singulorum propositiones, argumenta, & fines, simul indicat, typis exprimi in pagella curauimus, quam, qui volent singuli sibi comparabunt, & velut huius etiam Psalmi 118. argumentum, reliquæ enarrationi præfigent.

Est autem enarratio autorum, seu interpretatio cuiuscunq; scripti, in genere: primum Propositionem seu statum scripti, & Ordinem partium lectori ostendere: deinde, membra præcipua aptè referre ad Locos communes illius artis, ad quam scriptum pertinet: eosq; adhibitis definitionibus, diuisionibus, sententijs & exemplis illustrare: Postremò, genus sermonis, phrasin, & figuras verborum, iuxta præcepta artiũ de ratione dicendi, expendere & enucleare. Est igitur Propositio huius Psalmi præcipua: *Gratias ago D E O pro liberatione ex omnibus periculis, & malis presentibus ac æternis .i. in persona Christi capitis: deinde omnium membrorum Ecclesiæ, seu omnium piorũ, qui similes cum Christo afflictiones & liberationes experiuntur.* Argumentum verò Psalmi *Confitemini*, vberimum & amplissimum, tres illos sacre scripturæ seu librorum diuinorum fines & utilitates, à Paulo 1. Cor. 14. Rom. 15. & alibi indicatas, simul complectitur.

Primum .n. **D O C T R I N A** Evangelij, ppria, seu prophetia est de passione, morte, resurrectione, victorijs & regno Messie filij dei dñi nostri Iesu Christi:

PPP 4

& de

Chytr

& de Ecclesia ipsum Messiam agnoscente & celebrante: sicut ipse Christus hunc Psalmum de se nominatim citat, Matth. 21. Luc. 20. 19. Marc. 11. & Petrus Act. 4. 1. Pet. 2. & Paulus Ephes. 2. Rom. 9. qui Lapidem ab ædificantibus, doctoribus & principibus in populo Iudaico reiectum, qui caput anguli seu fundamentum Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus collectæ, non solum verbo seu doctrina Euangelij patefacta; verumetiam merito, efficacia & defensione factus est, ad Christum accommodant.

Deinde, CONSOLATIO est, singulis membris Christi ac Ecclesiæ proposita, quæ cum similes cum Christo afflictiones sustineant, similem quoque liberationem & victoriam in hac vita & post hanc vitam expectant.

Tertio, EXHORTATIONES ad gratiarum actionem seu celebrationem beneficiorum diuinorum, ad fidem seu fiduciam in solo Deo, non in hominibus collocandam, ad veram inuocationem Dei, ad confessionem, ad ministerium Ecclesiæ publicum omnibus officijs ornandum; denique ad glorificationem & laudes Dei, vero corde & clara voce & totius vitæ obedientia religiose sonandas.

Sunt autem totius Psalmi versus XXIX. ex quibus primi quatuor EXORDIUM continent à re ipsa, seu propositione (vt omnibus sapientibus scriptoribus à re ipsa ordiri vsitatum est) summam & scopum totius carminis complectente, sumtum: CONFITEMINI seu Gratias agite Domino.

Hanc propositionem amplificauit & ornauit Poëta, 1. *aitiologia* seu causarum notatione: Quoniam BONVS, & in æternum MISERICORS est. 2. *μερισμός* seu distributione generis in species: Gratias agite Domino omnes pij, populus Israël, ministri & doctores Ecclesiæ, tota Ecclesia ex Israël & gentibus collecta. 3. *Schematicis* lexeos: Anaphorâ ab eadem dictione aliquot verius inchoante: Epiphorâ, eandem clausulam in fine quatuor versuum repetente: & Symplocâ ex ambabus his figuris compositâ. 4. Tropis dictionis: Metalepsi causæ pro effectu: Metonymia continentis pro contento, &c.

Quintus versus, Narrationem accepti beneficii inchoat, pro quo peculiariter & in specie, videlicet pro liberatione ex omnibus afflictionibus & periculis, hoc Psalmo gratias agit. Sunt enim, vt in genere demonstratio in Rhetoricis discimus, Gratiarum actionis duæ partes: Prior, expositio & amplificatio seu laudatio accepti ab alio beneficii: Posterior, promissio memoris ac gratæ mentis & prædicationis beneficii, vt dator beneficii honore debito afficiatur, & alij homines ad eam bonitatem agnoscendam & celebrandam inuitentur.

Narrationem igitur Beneficii, seu Liberationis ex periculis, hoc quinto versu incipit, ac periculum vno verbo TRIBVLATIONIS initio completitur, quod versu 10. 11. 12. 13. 17. 18. postea exaggerat & amplificat. Liberationem verò ex afflictionibus, & victoriam admirandam, celebrat versu 14. 15. 16. &c. Alteram verò Gratiarum actionis partem, videlicet accepti beneficii prædicationem & celebrationem gratam ac memorem, versu 19. inchoat, & sequentibus decem versibus vsq; ad finem Psalmi, mixtis locis doctrinæ de Christo & Ecclesia super eum ædificata, & ministerio ecclesiæ, & prædicationibus pro ecclesia, & felicibus regni Christi successibus, per-textit. Epilogus, iisdem verbis, Propositionem, postremo versu repetit. Hæc brevis totius Psalmi dispositio est.

Nunc versus Psalmi ordine enarrabimus. ac initio primi versus sententiam,

tiam, breui velut Paraphrasi euolutam præmittemus, vt magnitudo & varietas rerum ac doctrinæ salutaris, hoc breui aphorismo comprehensæ, propius aspici & considerari possit.

CONFITEMINI, Gratias agite Domino, & vero corde ac voce clarâ fateri, & celebrare DEVM, quod verè BONVS & beneficus sit, fons & causa omnis boni creati, & benefaciens omnibus, etiam cum cruce & ærumnis eos castigat; nec tantum huius vitæ bona, & alimenta vitæ necessaria nobis largitur, fœcundat terram vt gignat fruges ad alenda corpora, dat victum, pacem, vigorem ingenij & sensuum, incolumes oculos, manus, pedes, liberat ex periculis, verum etiam immensa misericordia propter filium, nos mortales ad æternam vitam & gloriam elegit & vocauit; constituit Filium mediatorem, vt per illius obedientiam placaretur ira Dei aduersus peccatum, liberat nos à peccato & morte, & æternam salutem nobis donat, vt hoc modo immensa & gratuita misericordia propter filium Mediatorem saluari Deum in omni æternitate celebremus.

Epicurei & maxima pars generis humani dicens in corde suo, Non est Deus, nō intelligit nec sonat hanc vocem Confitemini Domino. Nec Stoici, statuentes omnia necessariò fieri, possunt inuocare Deum: cum plus facta tamen quam pia vota valere credant. nec vlli Philosophi, qui etsi intuentes mirandum ordinem naturæ, conuincuntur, esse DEVM & prouidentia: tamen cum intuentur confusiones vitæ humanæ, cum vident opprimi bonos, florere malos: tandem fiunt vel Academici, vel planè Epicurei. Non igitur quorumlibet est hæc vox *Confitemini Domino*. Nec impij in ecclesia, Cain, Saul, Iudas & similes fatentur Deum esse Bonum, & immensam misericordiam illius. Maior est, inquit Cain, iniquitas mea, quam vt veniam consequar. Mentiris Cain, inquit alter; maior est Dei misericordia, quam omnium peccatorum miseria.

Soli pij agnoscentes se habere Deum propitium propter filium Mediatorem, & credentes, se à peccato & morte propter Filium liberatos, æterna vita & gloria fruituros esse: sonare hanc Psalmi vocem possunt. Quare vt nos etiam cum Dauide, Salomone, Iosaphato, Iudâ Maccabeo, & alijs pijs, canere hunc versum possimus: fide conuertamur ad Deum, & ad filium Dei mediatorem datorem vitæ præsentis ac æternæ, confugiamus. Sed singula versus verba ordine expendemus & grammaticè declarabimus.

CONFITEMINI, HODV, Gratias agite, celebrate, laudate. Significat in genere, mente sentire & verbis fateri & prædicare, nos beneficium ab alio accepisse. Ideoq; illius bonitatem & virtutem celebrare, & agnoscere vicissim nos ei ordine iusticiæ, ad mutuam amorem, & reddendum officia illi grata, obligatos esse. Complectitur enim Gratitude Veritatem, quæ agnoscit & profitetur se ab alio beneficium accepisse: & Iustitiam, quæ seruaturæ aequalitatem, & vicissim benemeritis gratiam pro beneficio, & beneuolentia animi & alijs officijs, pro suarum facultatum modo, restituit. Partes sunt, veritas, mente, ore & corde sentiens & profitens vnde acceperit beneficium. Iustitia, agnoscens se vicissim ad *aridapa* obligatum esse, & seruans aequalitatem. Multò autem significantior est Ebræa & Germanica appellatio, quam latina. Ebræum verbum confiteri, non tantum verbis, sed etiam vero corde & ore agnoscere, meminisse, profiteri & celebrare beneficiū, & beneficij autorem significat, vt Germanis *danken* / *a gedanken*. Et bene apud memores veteris stat gratia facti. sed vulgo, cui dolet, meminit: cui placet, obliui-

obliuiscitur. Pindarus, παλαιὰ γὰρ ὁδὸν χάρις ἀμνάμενες δὲ βροτοί. Omnes sumus ingrati Deo, parentibus, præceptoribus, magistratibus, benemeritis: ingentia beneficia non nisi maleficijs compensantes.

Latina vox, GRATIAS, græcam ΧΑΡΙΤΑΣ exprimit, qua Græci beneficentiam & gratitudinem mutuâ simul complectuntur. *χαρίτων δὲ τιθόμενος ἄριστος*. à *χαίρω*, gaudeo, Hilarem enim datorem diligit Deus. Pinguntur autem tres Charites nudæ, vna faciem ad intuentes conuertens: duæ auersæ ad beneficij auctorem. vt pro vno beneficio geminam gratiam vicissim restitui debere moneant. Templâ verò Gratiarum in medijs vrbibus à Græcis collocata fuerunt, vt Beneficentiæ & gratitudinis mutuæ ciues admonerentur. Nomina ἀγλαία, εὐφροσύνη, θαλεία. In hac significatione, pro gratias ago, vsurpatur verbum conf. Matth. 11. Confiteor tibi Deus pater cœli & terræ. Luc. 10. Confiteor tibi pater. & passim in toto Psalterio, sicut vox Benedicere Deum, etiam gratias agere significat.

Augustinus hunc Psalmum enarrans, Confessio, inquit, vel laudis eius est, vel peccatorum nostrorum. Laudis confessio rursus duplex: vel celebratio immensæ bonitatis ac beneficiorum diuinorum, quæ Thodah seu sacrificium laudis, in Psal. 50. 107. 116. & alibi nominatur: vel clara & constans professio veræ de Christo doctrinæ & fidei nostræ, non viua solum voce, sed sanguine etiam & morte, si opus sit, testificata, vt appareat, nos serio ita sentire, & futurum iudicium Dei timere, & vitam ac gloriam æternam vicissim expectare. Hæ tres præcipuæ vocabuli significationes sunt.

Est autem in hoc versu, CONFITERI, seu GRATIAS DEO AGERE, mente agnoscere & voce profiteri ac prædicare, non casu nos ex periculis liberatos esse, nec casu nobis bona spiritualia & corporalia, præsentia & æterna offerri, nec nostra sapientia & industria tantum parari: sed quod Deus bonus, beneficus, ac in æternum misericors, omnium bonorum largitor sit: verè nos curet, exaudiat, iuuet, & non tantum hanc vitam, alimenta, cibum & potum, pacem, liberationes ex periculis corporalibus tribuat, verum etiam immensa & gratuita misericordia, propter filium mediatorem nos à peccato & morte & æternis malis liberet, & iusticiam, vitam ac gloriam sempiternam donet. ac propterea vero corde se ei subijcere, & hanc bonitatem & beneficia misericordiæ diuinæ immensa, confessione & voce clara, & hymnis ac laudibus pijs, & totius vitæ obedientia celebrare, vt & Deus gloria afficiatur, & alij homines ad veram agnitionem & inuocationem Dei inuidentur. Tantum de vocabulo CONFITEMINI, quod si memineritis, satis ex hac lectione didicistis. Sequitur αἰτιολογία seu ratio propositionis.

QUONIAM BONVS, essentialiter & immutabiliter, & perfectè talis, qualem se in æterna & immota sapientia & regula omnis bonitatis ac rectitudinis in Lege sua descripsit, intelligens, verax, iustus, beneficus, omnium bonorum largitor, benefaciens omnibus, maxime fidelibus, etiam cum cruce & ærumnis eos castigat & affligit (Nahum 1. Bonus dominus & confortans in tribulatione. Psal. 119. Bonum est mihi Domine, quod afflixisti me) est fons & causa omnis boni creati, honesti, utilis & suavis, seu sapientiæ, iusticiæ ac virtutum omnium, & lætitiæ in Angelis & hominibus, & ordinis in vniuersa natura, non causa mali. sicut Plato definit DEVM esse εὐδαιμόνιον, ἢ τὴν ἀγαθὴ φύσεως αἰτίαν, essentiam æternam, causam boni in natura. Et Galenus, in dulcissimis & aureis, de vsu partium libris, explicans, quo consilio & arte Dei opificis, singula hominis membra & minimæ etiam particu-

læ, cer-

Chytr

lae, certis actionibus destinatae, & apte locis distributae, & figuris, qualitatibus, officijs, ac viribus distinctae sint, se *ἱερὸν λόγον, ὃ τὸ δὴ μιμεῖται* ait. & statim adiungit, se hunc praecipuum & verum Dei cultum existimare; non si taurorum Hecatombas plurimas offerat, vel totius Arabiae thura & casias incendat, sed si cognoscat primum ipse, deinde & alij enarret, Dei opificis & architecti nostri sapientiam, bonitatem & potentiam. Quod enim voluit conuenienti ornatu singula exornare, & nemini quidquam bonorum inuidere, perfectissimae bonitatis demonstratio- nem esse duco, & hac ratione tanquam perfecte bonus a nobis celebratur. Quod autem inuenire omnia ad opificium maximè exornandum conueni- entia potuit, summæ sapientiae argumentum est. Quod autem effecit omnia quae proposuit, immensae potentiae. Sic Plato *πολιτ. 6.* omni contentione pugnandum esse ait, ne quis in ciuitate, quam bene regi volumus, vel seni- or vel iuuenis, seu in Poëmate, seu alia narratione dicat, Deum, cum sit bo- nus, causam esse mali: Quod neq; sanctè ita dici possit, neq; vtile sit mori- bus, neq; secum consentiat in explicatione. & Euripides in Bellerophon- te: *Εἰ θεὸς τὸ δρῶν αἰσχρὸν, ὅθεν εἶπεν θεός.* Multo hi scriptores Ethnici honestius de Deo, verè ac perfecte bono, omnis iniquitatis & labis experte, quàm multi in Ecclesia dei, docuerunt, qui causam mali, etiam culpæ, seu omnium flagitiorum & scelerum in Deum, seu fatum ac decretum Dei, & diuinam permissionem, sustentationem naturæ peccantis, & omnium futurorum e- ventuum præuisionem, contulerunt. Alij duos deos, pariter potentes & æ- ternos, *οἷον αὐτὸ ἐχόντες*, Bonum & Malum confinxerunt; quam sententiam Marcion, & Manichæi in Ecclesia Dei defenderunt: & multis sapientissi- mis ac doctissimis viris probatam fuisse Plutarchus testatur. Sed his dispu- tationibus omissis, vtilius est ad veram pietatem & gratitudinem in pectō- ribus erga Deum, accendendam, considerare varietatem & magnitudinem ingentium Bonorum, quæ bonus & beneficus Deus in nos larga manu quo- tidie ac cumulate effundit, considerare. Dat vitam ipsam, non cum cæteris animantibus & plantis communem, sed mente & ratione præditam, & no- tia Dei & virtutum ac artium principijs & seminibus ornata, dat vigorem ingenij ac sensuum, incolumes oculos, linguam, manus, pedes, cor, epar, & reliqua totius corporis membra, quæ sana & non impedita habere, quan- tum bonum sit, tum demum intelligimus, cum eorum incolumitatem amissi- mus: dat corporibus nostris victum, seu cibum & potum, foecundat quotan- nis terram, & magnam varietatem alimentorum ex frugibus, fructibus, her- bis, radicibus, quotannis largitur. Sol quotidie lucem & calorem viuificum rebus nascentibus præbet, & annorum ac dierum spacia definit. Luna ac- cretione & diminutione luminis mensium spacia dimetitur. Ignis hyeme frigus depellit, cibos coquit, omnium metallorum officinis seruit. Aqua in potu, in cibis elixandis, in lauando, in plerisq; officinis artium mecha- nicarum & alijs vsibus vitæ necessarijs quotidie vtimur.

Postremò repleuit Deus totam naturam mirificis voluptatibus. Quan- ta voluptas est aspicere coelum, stellas, arborum & herbarum flores, fru- ctus, anatomen corporis humani, caras coniuges, liberos, amicos? Quam gratum & iucundum *ἄκρομα* est doctrinam de Deo, de stellis, de motibus siderum, de natura plantarum, animantium, animæ & corporis hu- manæ: historias sacras & ethnicas, virtutum exempla & scelerum poenas con- tinentes, orationem sapienter & ornatè elaboratam, audire, vt verè Aristo- teles

teles dixit: τὰ σοφίαν θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχον τῇ καθαριότητι καὶ τῷ βελείῳ, Sapientiam admirabiles voluptates parere & omnium purissimas & solidissimas. Quas enim vulgus mortalium voluptates, ex pecunia & beluinis libidinib. captat, prorsus insinceræ, fucatae, impuræ, falsæ & fugaces sunt, & tandem fastidium & nauseam hominibus ἀλκίοις adferunt.

Quoniam in æternum MISERICORDIA eius, qui miserijs nostris præsentibus ac æternis ex corde afficitur, & miranda bonitate ac ὁπρὸς, propter filium Mediatorem ac deprecatores, temperat iustissimæ aduersus nostra peccata iræ suæ rigorem: remittit nobis peccata, & mitigat pœnas, etiam indignis & horribiliter pollutis, si tamen ad thronum gratiæ D.N.I.C. confugiant. Hæc æterna Dei misericordia philosophis ignota, & in solo Evangelio patefacta est. Non enim agnoscit ratio humana Deum indignis & horribiliter peccato pollutis misericordem & propicium esse. nec consilium redemptionis, mirando iustitiæ ac misericordiæ diuinæ temperamento, factum, constituto filio Mediatore, placante iram Dei λύτρω sufficienti à se persoluto, ac suam iustitiam nobis imputante, nouit, nisi Deo per verbum reuelante: quod cum audit, fabulosum & stultum esse iudicat, vt I. Cor. I. Euangelium de Christo crucifixo gentibus stultitiam esse, placuisse autem Deo per hanc stultam, misericordiæ Dei propter Christum crucifixum, peccatoribus fide ad se confugientibus, placati & propicii, prædicationem, saluos nos facere credentes, Paulus ostendit. Nulli igitur Ethnici, nulli Philosophi, non Plato, non Cicero, nulli impenitentes in ecclesia Dei, non Cain, Saul, Iudas, sonare hunc versum possunt: *Quoniam in æternum misericordia eius.* Et si autem tota Euangelij doctrina, MISERICORDIAM seu GRATIAM Dei, quæ totius redemptionis ac salutis nostræ, & omnis iustitiæ nostræ fundamentum est, prolixè explicat; tamen in primis luculentum & pulcherrimis verborum ac sententiarum luminibus ornatum MISERICORDIÆ Dei immensæ encomium est Psalmus 103. Benedic anima mea Domino, &c. Vbicunque verò in Psalmis, & tota scriptura, Misericordiæ Dei mentio fit: semper addenda est mentio Christi mediatoris, propter quem solum æternus Pater nos indignos & horribiliter pollutos gratuita bonitate recipit, non ex futilitate & leuitate, sed quia filius Mediator λύτρω sufficiens iustitiæ diuinæ persoluit, nostri respectu gratis donatur.

Pertinent autem ad hanc clausulam, *Quoniam in æternum misericordia eius*, præcipue Beneficia Dei spiritualia & æterna, videlicet Creatio miseræ huius & fragilis naturæ humanæ ad imaginem Dei & æternam vitam ac gloriam. patefactio Euangelij de gratuita misericordia seu remissione peccatorum. Missio filij Dei & Redemptoris nostri IESU CHRISTI pro nobis passi & resuscitati: Remissio peccatorum, Reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiæ, donatio Spiritus sancti, noua lux veræ agnitionis Dei, fidei, consolationis, vitæ & lætitiæ in Deo acquiescentis. Liberatio à tyrannide diaboli & morte æterna, vita ac gloria perpetua, in qua Deus ipse, omnia in omnibus existens, diuina luce, sempiterna iustitia & vita, nos in omni æternitate complebit. Hæc immensa magnitudo & varietas beneficiorum diuinorum, exuscitare & accendere nos ad veram & ardentem confessionem seu gratiarum actionem erga Deum, in hac vita & omni æternitate præstandam, debent. Hactenus αἰτιολογία, seu causæ, cur confiteri seu gratias agere Domino ardentes debeamus. Sequuntur Repetitiones propositionis & rationis, ornatae Anaphora, Epiphora, Symploca, & cæteris figuris.

II. III. IIIL. versus.

Tres versus ab vna dictione *DICAT* incipientes, exemplum sunt Anaphoræ seu relationis. Et in eandem clausulâ, *Quoniam in æternum misericordia eius*, quatuor primi versus desinentes, exemplum sunt Epistrophæ seu Epiphoræ. Idem versus ab iisdem dictionibus incipientes, & in eandem clausulam desinentes, exemplum sunt Symploces, complicationis, figuræ ex Anaphora & Epiphora compositæ.

ISRAEL, populus ex patriarcha Israël seu Iacob propagatus. Metalepsis causæ pro creantis pro effectis. De vocabulo Israel Gen. 32. Rom. 9. *DOMVS* *AARON*, familia sacerdotum, doctorum & gubernatorum ecclesiæ. Metonymia continentis pro contento, Domus pro familia seu hominibus in domo habitantibus. Hodie salus contigit domui huic. Omnis Iudæa exhibat ad Iohannem. Aharon mons laudis, *ἐξαρχῶ* laudis diuinæ.

Omnes qui timent Dominum, ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta.

Quintus versus.

In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in altitudine Dominus.

L O C I D O C T R I N A E.

I. De *CRUCE* & calamitatibus ecclesiæ ac omnium piorum: quæ vel vocationem comitantur, ut vulgi ac tyrannorum persecutiones ac supplicia fidelibus euangelij doctoribus proposita sunt; vel communem infirmitatem naturæ humanæ, propter peccatū, morti, morbis & alijs miserijs obnoxia, sequuntur; vel proprijs sceleribus ac flagitijs, ut exilium Dauidis, carcer Manassæ, excidium Hierosolymæ, supplicium latronis in cruce, attrahuntur. Causæ autem, cur *DEVS* ecclesiam præcipue & homines pios, præ reliqua impiorum multitudine (iudicium enim à domo Dei incipit, 1. Pet. 4.) tribulet & affligat, decem sunt. Nam in omnibus, etiam pijs & sanctis, multæ sordes peccatorum, magna caligo & dubitationes de Deo, pronitas ad securitatem carnalem, admirationem sui, amorem & curam voluptatum, gloriæ, aliarumque rerum terrenarum maiorem, quam Dei & rerum diuinarum; ad cupiditatem vindictæ, antecellentia, opum, &c. reliquæ sunt, quas vult Deus agnosci & emendari, & iram Dei aduersus hanc interiorem immundiciem, quam mundus negligit & contemnit, à pijs præcipue conspici & intelligi.

Ærumnas igitur non ideo imponit Deus, ut nos abijciat & perdat, verum ut nobis beneficiat, & amplissima bona per crucem tribuat. Psal. 119. Bonum est mihi Domine quod afflixisti me. Primum, ut agnitio & confessio peccati, & poenitentia vera in nobis accendatur vel crescat. Ita ærumnæ & tribulationes sunt schola poenitentia, & pædagogia ad Christum & æternam salutem, ut multi occasione suppliciorum ad Deum conuertantur, qui alioquin nunquam ad Deum redissent. Et omnis piorum vita, assidua de peccato poenitentia est. 1. Cor. 11. Cum iudicamur seu punimur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Deinde, ut timor Dei, fides, humilitas, spes, patientia, & cæteræ virtutes in nobis exsuscitentur, exerceantur, alantur & confirmentur. Quæ in rebus secundis & ad voluntatem nostram adfluentibus planè languefunt ac frigescunt, & paulatim prorsus extinguuntur. Tertiò, ut inuocatio ardentior in nobis accendatur. Esa. 26. Domine in angustia quærimus te, cum nos corripis, clamamus ad te. Ut pij agnoscant iram Dei aduersus peccatum commune totius generis humani, & aduersus interiorem immundiciem, dubitationes, superbi-

Chylr

perbiam, securitatem carnalem, flammam adfectuum vitiosas, quam mundus negligit, Ierem. 30. Castigabo te in iudicio, ne tibi innocens videaris. Vt pij emendent interiora peccata, & caueant futuros lapsus, 2. Cor. 4. Etsi exterior noster homo corrumpitur, tamen interior renouatur quotidie. Vt pij efficiantur conformes imaginis filij Dei, qui per crucem & contumelias in regnum patris sui ingressus est, Rom. 8. 1. Pet. 4. Vt afflictiones sint testimonia immortalitatis & secuturi iudicii, ac vitæ æternæ. Vt sint occasiones diligentius discendæ doctrinæ a Deo traditæ, Psal. 119. Bonum est mihi Domine, quod adflixisti me, vt discerem iustificationes tuas. Vt appareat ecclesiâ obœdirc, non propter aliqua corporum commoda, sed propter solam gloriam Dei. Vt præsentia & auxilium Christi in mirandis liberationibus illustrius conspiciatur, Psal. 109. Adiua me & saluum me fac, vt sciant, quia manus tua hæc, & quod tu Domine fecisti illud. Vt æterna præmia calamitosi & patientibus promissa consequamur, 2. Cor. 4. Momentanea leuitas afflictionis æternum pondus gloriæ parit.

I. DE VERA DEI INVOCATIONE. Vult Deus, in tribulatione nos non angoribus & impatientiæ indulgere, vel ad illicita & inconcessa præsidia discurrere: sed ipsum inuocare, vt Deum non esse inane nomen, sed verè adesse inuocantibus, cūq; opem & salutem ferre agnoscamus, & Dei præsentiam, bonitatem, misericordiam, & omnipotentiam in cruce & mirandis liberationibus experiamur. Sunt igitur tribulationes ac ærumnæ, schola veræ, seriæ ac ardentis inuocationis Dei, Esa. 26. Domine in angustia quærunt te: in tribulatione inuocant te, Psal. 50. Inuoca me in die tribulationis.

Est autem inuocatio Dei vera, prælucente vera agnitione & fiducia Christi mediatoris, petere à vero Deo, in ecclesia patefacto, liberationes periculis, & alia bona spiritualia & corporalia, præsentia & æterna, iuxta ipsius promissiones, & certò statuere se Deo curæ esse, & à Deo, tanquam patre Philostorgo, preces nostras propter filium intercessorem exaudiri, & nobis salutaria tribui. Aut dat, quod volumus, aut aliquid melius. Partes inuocationis sex sunt. 1. Compellatio veri Dei in ecclesia patefacti, quem appellatione I E H O V A, Iudæi ab omnibus commentitijs numinibus aliarum gentium distinguebant, vt hoc loco dicitur: In tribulatione inuocaui I E H O V A, non Neptunum, Martem, Georgium, Christophorum. 2. Cogitatio mandatorum Dei, quæ præcipiunt inuocationem. Matth. 7. Petite, pulsate, quærite. Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis. 3. Pœnitentia, seu agnitio & confessio propriæ indignitatis & peccatorum, Dan. 9. Psalm. 51. 4. Consideratio PROMISSIONVM Euangelij, de remissione peccatorum gratuita, & exauditione precum, propter Christum mediatorem. 5. FIDES amplectens promissiones. 6. Res petendæ spirituales & corporales. Proponit autem hoc exemplum Dauidis, in tribulatione inuocantis Deum, doctrinam vt nos quoque in periculis DEVM inuocemus.

III. DE EXAUDITIONE PRECVM. Non sunt rumores vacui, verbaq; inania, Et par sollicito fabula somnio, preces tuæ, vt Hecuba apud Euripidem exclamat: *ὦ θεοί· τί τὰς θεὸς καλῶ, καὶ πρὶν ἢ εἶναι ἐσθλὰς ἀνακαλεμένοι.* O Dii: sed quid Deos inuoco, nam & antea inuocati non exaudiuerunt. His tenebris, dulcissimas promissiones Dei veracis & omnipotentis opponamus. Matth. 7. Quærite & inuenietis, petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Ioh. 16. Quicquid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis, scilicet, eo ordine & modo, quem in promissionibus expressit. Bona spiritualia & æterna certò & sine vlla conditione, vt Iob inquit: Etiam si occiderit me, sperabo in eo. Bo-

eo. Bona corporalia cum exceptione nostræ utilitatis & salutis, si nobis utile & salutare sit, quod petimus; & castigationis ac crucis, & non præscribendi Deo modi aut temporis, quo exhibere bona petita debeat. Bernhardus: Nemo parvipendat orationem suam: Aut enim dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Quid enim infirmo sit utile, magis nouit medicus quam ægrotus. Bonus Dominus, qui sæpè non tribuit quod volumus, vt quod malle-mus attribuat. Aut dat quod volumus, aut aliquid melius.

IIII. DE CONSOLATIONE ET LIBERATIONE. Exaudiuit me in LATITUDINE. In dolore & mœsticia cor constringitur & angitur copia spirituum, ab externis membris ad cor fontem vitæ refugientium, vt singuli in tristitia & conternatione experimur & sentimus. Econtra, in læticia spiritus à corde in externa membra effusi dilatantur, & luxuriant; vnde & nomen habet læticia à latitudine, vt luxuria à laxitate. Primum igitur cor in tribulatione mœstum, constrictum & anxium, consolatione recreatum esse ostendit. *Das er raum zum herren hat frigt.* Deinde, vt in angusta turri & carcere conclusi, cum liberantur, in latitudinem veniunt, seu in latiori spatio collocantur: sic afflicti & ærumnosi, non amplius vt antea premuntur & anguntur. Hæc metaphora, consolationem & liberationem significans, passim in Psalmis vsurpatur. Psalm. 18. Eduxit me in latitudinem: saluum me fecit. Psalm. 119. Ambulabam in latitudine.

V. DE FIDE, quam omni veræ inuocationi præluere oportet, & quæ in exauditione precum, experta consolationem & liberationem, confirmatur, & fit ardentior. Est autem FIDES, non tantum notitia omnium articulorum doctrinæ à Deo nobis in verbo suo traditæ, & assensus, quo veram esse doctrinam, & in hac, promissionem de gratuita reconciliatione propter Christum, donanda, credimus: verum etiam, firma fiducia, in misericordia Dei propter Christum promissa innitens, & certò statuens Deum paterna beneuolentia & amore nos, quanquam indignos & pollutos, propter filium mediatorem, pro nobis passum & resuscitatum complecti, vt dulcissimè in precatione dicitur.

Christe, tua est nostris maior clementia culpæ,

Et dare non dignis res mage digna Deo est:

Quanquam sat digni, si quos dignatur amore,

Qui quos non dignos inuenit, ipse facit.

Ergo tuos placido miserans precor aspice vultu,

Quos fecit natos gratia, culpa reos.

Culpa reos fecit, sed vincat gratia culpam,

Vt tuus in nostro crimine crescat honos.

Da precor huic tanto, qui semper seruet amori,

Ardorem in nostris cordibus esse parem.

Præcipuus autem fons & arx veræ consolationis est hæc fides, certò statuens, Deum velut patrem φιλόστοργον nos propter filium complecti, nobis placatum & propitium esse, & quanquam in hac vita cruce & ærumnis multiplicibus castigemur: tamen Deum nobis patrem propitium adesse, nos ab eo diligi, respici, exaudiri, iuuari & vita ac gloria æterna certò donatum iri. Ideoq; firma fiducia in Deo nobis propter Christum propitio & fauente vicissim adquiescere, & sine vlla trepidatione & metu, in summis etiam periculis, cor tranquillum & lætum retinere, & solidæ petræ, Christo, constanter & firmiter inniti. 2. Paral. 20. Credite Domino Deo vestro & securi eritis.

Talis fidei vox triumphalis, sunt VI. & VII. versus.

Dominus mecum, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mecum, & adiutor meus, &c.

Sola fides innixa Deo trepidantia firmat Pectora, & in mœsto secutum tempore tempus Præsumit, confisa Deo, nam non metuendi Fidere causa Deo. quem quisquis non timet vnum Omnia iure timet. fidant legionibus illi Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi. Nos crucis inuictæ signum & confessio munit. Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma corporis.

Distingui autem quinq; obiecta seu partes **F I D E I** possunt, primum beneuolentiæ Dei erga nos. 2. Præsentia Dei in ærumnis: Dominus mecum, non timebo. 3. Auxilij. 4. Mitigationis. 5. Liberationis præsentis ac æternæ. Primum enim fides statuit Deum paterna beneuolentia & amore nos propter filium pro nobis hominem factum, mortuum & resuscitatum completi, & in ærumnis etiam, nos Deo, tanquam patri philostorgo curæ esse, ab eo respici, exaudiri & salute æterna certò donari. Rom. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Quis nos auellat à dilectione Dei, qua Deus nos diligit propter filium. Certò persuasus sum, quod nulla adliectio aut angustia, aut persecutio, &c. Ebr. 12. Quem diligit Dominus castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit. Si castigationem sustinetis, ut filijs se offert Deus: Quis enim est filius, quem non castigat pater, &c. Et plura deinceps. Augustin. in Psal. 98. Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet. Deinde, fides statuit Deum nobis præsentem adesse in ærumnis, non in Æthiopia abesse, negligere & deferere miseros, ut inter homines visitatum est, amicos infelices contemnere, auersari, & fugere. Nulla fides vnquam miseros elegit amicos. Tu cole felices, miseros fuge. Donec eris felix multos numerabis amicos, Nullus ad amissas ibit amicus opes. Aristoteles, *ὁ φίλος ἐ- δὲς φίλος*. O amici nemo est amicus. At Christus solus in ærumnis est & manet fidus amicus, non deferens suos etiam in media morte. Verè est **E M A N V E L**, nobiscum Deus. Psalm. 90. Cum ipso sum in tribulatione. Psalm. 34. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde. Esa. 57. Ad quem respiciam, nisi ad contritum & humilem spiritu. Psalm. 46. Dominus Zebaoth nobiscum, refugium nostrum **D E V S** Iacob. Psalm. 23. Etiam si ambulauero in valle umbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es.

Psal. 73. Si modo tu præsens mihi sis, nil cetera curo,

Quid cælum aut terram posse nocere putem?

Deficiant anima vires, & corporis artus,

*Tu tamen es mea pars, præsidiumq; **D E V S**.*

Esa. 43. Meus es tu cum transieris per aquas, tecum ero. Ita hic inquit, Dominus mecum, non timebo, quid faciat mihi homo. *Χρὴς, τοιαῦτα, φάρμακόν ἐστιν, πρὸς τὴν ἰσχυρίαν, οὐδὲν ἄλλο, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλος, ὅς ἐστιν ἰσχυρὸς, αὐτὰ, λόγος.* Esa. 40. Omnis caro fœnum. Psalm. 103. Homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri.

I I I. A V X I L I I. Fides statuit Deum non ociosum spectatorem ærumnarum nostrarum esse, ut cum prædonis aut furis supplicium, cura & negotio vacantes intuemur: sed iuuare, consolari, confirmare pios, & vires ac robur sufficere, ut perferre onus ipsis impositum queant, ut hoc loco dicitur, Dominus **M E C U M** & **A D I V T O R M E V S**. Nānum **I.** Bonus Dominus & confortans in tribulatione. Psalm. 68. Onus imponit nobis, & est salus nostra. *Er legt uns eine Last auf/ vnd hilfft sie tragen.* 2. Cor. 1. Vbi abundat afflictio, ibi abundat & consolatio. Psalm. 94. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ latificauerunt animam meam.

I I I I. Fides statuit Deum mitigare & lenire miseras ac dolores, ut perferre onus

Chytr

onus possimus, 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non finit nos tentari super vires. Psal. 84. Mitigasti omnem iram tuam. Ierem. 46. Ego consumam cunctas gentes, te vero non consumam, sed castigabo te in iudicio (*ἰκτερίως*) ne quasi innocenti parcam tibi. Præmia qui ut meritis longè maiora rependis, supplicia admittis sic leuiora malis. v. Fides statuit, certò se à Deo patre philostor-go, ex omnibus ærumnis liberatùm iri, vel in hac vita, vel in æterna, ut plurimi inuocantes Deum mirandas liberationes etiam in hac vita experiuntur. ut in hoc toro Psalmo Dauid mirandas liberationes suas prædicat. Psalm. 34. Iste pauper (adfectus) clamauit, & ex omnibus tribulationibus eripuit eum. Iob. 9. Etiam si occiderit me, tamen sperabo in eum. Huius FIDEI, in ærumnis exercitæ & confirmatæ, voces triumphales sunt sextus & septimus versus: *Dominus mecum, non timebo; quid faciat mihi homo? Dominus mecum & adiutor meus, & ego despiciam inimicos meos.* Qui ab iisdem dictionibus incipientes, Anaphoræ exemplum sunt.

VIII. & IX. versus. Gnomæ ex comparatis seu contrarijs. *Melius est sperare in Domino, quàm considerare in homine, auff den gemeinen Man. Melius est sperare in Domino, quàm considerare in principibus.* Collatio fidei seu FIDV-CE & auxilij Diuini, & vanæ fiduciæ in Homines, vulgus aut Principes, collocatæ. Fide, sed ante vide, cui tutò fidere possis, Si cui vis tutò fidere, fide Deo. Debemus enim Deum solum super omnia timere, diligere, & ipsi confidere. & hoc nobis præstare debet Dei timor, ut omnes alios timores contemnamus. Sic Deo soli firmiter fidendum magis, quàm vlli creaturæ.

Qui sapit, in Domino mauult confidere, quàm se Sperare humanâ vince-re posse manu. Quam se principibus credere mille viris. Sed pleriq; mor-tales, suâ sapientia, viribus, Gratia potentum, coniunctionibus amicorum, suis operibus confidunt magis quàm Deo: Et dum hæc præsidia eos non des-terunt, rarò de Deo seriò cogitant. Was man zulest Gott heimstellet / das ist gemeinlich ganz verloren. Ideò finit nos DEVS frustrari nostris consilijs & viribus, deserui ab amicis, amittere opes, alienari à nobis Principum ani-mos, ut deposita fiducia nostri & humanorum præsidiorum, discamus ex solo Deo pendere, Deo soli confidere, à Deo solo auxilium & liberationem & o-mnia bona expectare. Quæ sapientia primi præcepti propria est, *Ego sum Do-minus Deus tuus*, qui te respicit, curat, exaudit, iuuat, ex periculis liberat, & omnibus bonis vitæ necessarijs cumulat: non tu ipse, non tua sapientia, tuus princeps, non amici, quorum auxilia cuncta esse fluxa in re tua crepera com-peries. non Croesi pecunia, non Caroli Burgundi exercitus & thesauri, quos Heluetij, homines montani, inopes, agrestes, non agnitos diripiunt & flocci-pendant. Hanc fiduciam humanorum præsidiorum prohibet Deus Ierem. 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Do-mino recedit cor eius. Psal. 39. Nihil nisi vanitas omnis homo viuens. Psal. 60. Vana salus hominis. Econtra verò, qui confidunt in Domino, tanquam mons Sion non commouebuntur. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Omnes homines sunt mendaces, & leues, & fragiles bullæ: solus Deus fidelis & constans & omnipotens amicus est, cui tutò fidere possumus.

Distribuit autem Homines in duas classes, in vulgus & principes. Adam, homines plebeios, viles, terrenos, imperitam, abiectam & sordidam vulgi multitudinem denotat. de quo Phocylidis versus, oraculi vice sit, *ἄνθρωπος οὐκ ἐστὶν ἀνθρώπων ἐστὶν ὁμιλῶν*. Vulgo non confide, quod varium & mutabile est. ut Christo die Palmarum Ierosolyma ingredienti acclamat turba, Benedi-ctus, qui venit in nomine Domini. Quatriduò post vociferantur, Crucifige, crucifi-

Chyfr

erucifige. Nedibim, sunt *Herodes*, viri aërei, coelestes, diuini, magno & excelso animo, & excellenti virtute, potentia & liberalitate praestantes, quos Christus *Gegeyas* nominare videtur Luca 22. Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent super eas, *Gegeyas* seu benefici vocantur. Ab hac virtute, qua ad Dei optimi max. similitudinem homines proximè accedunt, videlicet à bonitate, beneficentia & liberalitate, principes, in Ebraea lingua nomen habent. Quorum tamen beneuolentiam & auxilia, plerumq; homines frustrari, nec firmas & immotas ancoras esse, Psalmus hoc loco docet. vt in Belgico, proximis superioribus annis, consili sunt primùm Cæsaris & imperij Germanici patrocínio, cum Matthiam archiducem Austriae, gubernatorem vocarunt. deinde Gallo, Francisco Andegauense, regis fratre, qui Antvverpiam & alias aliquot vrbes proditoriè tentauit. Nunc sub Anglica Reginae tutela Hollandi & Selandi latent.

Cum in Liuoniam Moschi primùm impressionem facerent, Liuoni à Cæsare & Romano imperio, tanquam Domino & patrono Liuoniae supremo se non desertum iri sperabant. deinde, ad Daniae regem, cum Oslia & Curlandiae diocesis ad eum peruenisset, aliqui respiciebant. Praecipui verò, in Poloniae regis patrocínio & tutelam se contulerunt. alij ad Sueciae regem, alij ad magnum Holsatiae ducem, Liuoniae regem à Moscho nominatum, se aggregabant. alij à magistro ordinis Teutonici supremo auxilium frustra sperabant. donec tandem Poloniae & Sueciae regum iugo, maxima pars Liuoniae subiecta est, & multi, tolerabiliorem suam sub Moscho conditionem fuisse, quam sub Polonis liberatoribus, queruntur.

Sapè etiam voluntas & beneuolentia principum erga eos, qui summum gratiae & dignitatis locum prius in aulis tenuerunt, leui occasione vertitur. vt apud Tiberium, Seianus apud Seuerum, Plautianus apud Arcadium, Rufinus, tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. apud eundem Eutropius eunuchus, Gorgon nominatus est, ita demendauit principem. Huic Eutropio caput praecidi in consulatu Arcadius iussit. Sed nihil opus est ex vetustate exempla recensere, cum quotidie in oculos incurrentia cernamus. Apud Ericum XIII. Sueciae regem omnia potuit scriba humili loco natus, Georgius Person. qui, cum mutata regis sui fortuna, aduersarijs ad supplicium ab ipso rege dedere-
tur: dixit, nunquam se existimasse vel regem suum in eas calamitates incidere, vel se ab eo deferri posse. Ante 60. annos, praefectus Christierni Daniae regis in vrbe Holmensi, & praecipuus tyrannidis illius minister fuit Theodorus Slag-
hock. Hunc postea, rebus aliter cadentibus, in foro Hafniae suspendi & comburi Christiernus iussit. Crebrò etiam, regum ipsorum vel vita vel fortuna subito variatur. vt hoc nostro tantum seculo, exempla plurima, patres nostri & nos vidimus. Neapoli, intra octo annos, sex reges fuerunt, Ferdinandus, Alphonsus, Carolus VIII. Galliae rex, Ferdinandus iunior, Fridericus patru-
us, & Ferdinandus Hispanus. Lusitaniae rex Sebastianus à Mauris coesus. Fran-
ciscus Galliae rex ad Ticinum captus. Henricus Galliae rex in ludis nuptialibus
lethaliter vulneratus. Ludouicus Vngarus à Turcis in acie trucidatur. Iacobus
IIII. Scotiae rex in Anglia caesus. Christiernus II. ex Dania profugus tandem
in carcere obiit. Ericus XIII. Sueciae rex. Maria Scotiae regina, &c. Haec ex-
empla, Psalmi versum, Melius est sperare in Domino, quam confidere in prin-
cipibus, quorum vel voluntas, vel fortuna, vel vita subito mutatur, illustrant.

At dices, si nec plebeijs hominibus, nec principibus, sed soli Deo credere iubemur: an igitur prorsus non est fidendum hominibus? Respondeo, Caritas omnia credit, omnia sperat, scilicet, credenda & speranda, cum vo-
lunta-

1578.

1525.

1559.

1526.

1513.

luntates hominum mutabiles sint, credit probabili ratione. nam vt Plato dice-
re solitus est, *Φύσει μετὰ βολὴν ὁ φίλος*, & Aristoteles ad suos auditores con-
uerfus, *ὦ φίλοι, ἐδ' ἐς φίλον*. O amici, nemo est amicus! Seneca: Vtrumq; vitium
est, & omnibus credere, & nulli. Sed alterum honestius dixerim vitium, alte-
rum tutius. Virtus media est *CANDOR*, probabili ratione fidens aut diffi-
dens. Extrema sunt stulta credulitas & maleuolentia, seu diffidentia.

X. versus.

Omnes gentes circumdederunt me.

Sequentes nouem versus, vsq; ad XVIII. tantum sunt repetitio & am-
plificatio quinti versus: *De tribulatione inuocaui Dominum, & Exaudiuit me in*
latitudine Dominus. Ideo ijdem loci doctrinæ, de cruce & persecutionibus pio-
rum, earumq; causis; de Inuocatione Dei: de fide seu fiducia in solo Deo col-
locanda: de præsentia & auxilio Dei liberantis & delentis hostes ecclesiæ:
denuò verbis tantum mutatis & per expolitionem auctis inculcantur. Tribu-
lationem enim seu periculum, in quo, ad Domini opem se ardenti inuocatio-
ne confugisse quinto versu dixit, iam pluribus verbis euoluit & exaggerat, al-
legans primum multitudinem: deinde acrimoniam, virulentiam, furorem &
rabiam hostium, non moderatè diffidentium, sed vi atq; impressione, omnes
non ὅμο φησὶς euertere conantium, instar apum aculeis fauientium, & ignis in
iuniperis. *Omnes gentes circumdederunt me.* DAVIDEM Saul, Philistini, Idumæi,
Ammonitæ, Moabitæ: Deinde, Ecclesiam omnium temporum, ab initio
mundi vsq; ad finem, omnes monarchæ, ac in primis Romani imperatores per-
secuti sunt. Item, Sarraceni, Turci, Pontifices Romani, & reges impij. Vt Chri-
stum, Iudæi, Pilatus gentilis, Hypocritæ, Pharisei, sectarij, in omnes occasio-
nes intenti, virulentissimè petunt. *Circumdantes circumdederunt me.* Anadilopsis
seu Epizeuxis, eiusdem dictionis iteratio, asseuerationem reddit insigniorem.

Circumdederunt me sicut Apes. Multitudinem, acrimoniam & vehementiam
hostium amplificat duabus similitudinibus. Apes irritatæ magnis agminibus
circumuolant & compungunt inuadentes. Sunt enim iracundissimæ & pu-
gnacissimæ, ac

*Ingentes animos angusto in pectore versant,
Illius ira modum supra est, læsæq; venenum
Morsibus inspirant & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasq; in vulnere ponunt.
Hi motus animorum atq; hac certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.*

Ignis in spinis, quæ facile concipiunt flammæ & magnum strepitum ardentes
excitant, & propter materiæ densitatem, diutius incendium retinent.

Sed in tanta multitudine, potentia & furore hostium, quæ præsidia, quæ
munimenta, quæ arma opponere ad nos tuendos, hostesq; depellendos po-
sumus? R. *In nomine Domini excindam eos.* Turris fortissima *NOMEN DO-*
mini, iustus confugit ad eam & saluabitur. Est autem *NOMEN* agnitio & in-
uocatio veri Dei, defendentis, liberantis, & saluantis inuocantes eum. Psalm.
145. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, voluntatem timentium
se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. In Iosua cap.
10. Dominus obedit voluntati hominis, & ordinem naturæ mutat propter
preces Iosue. Ebraicè, Amilam, excindam, delebo eos, à verbo *MOI*, quod
cadere, secare, succidere, circumcidere significat. Vnde Muloth, circumcisio.
Affirmat autem Dauid se excindere vel delere hostes velle, quia inuocatione
ipsius Dominus permotus hostes excindit ac evertit.

XIII. *Impellens impulit me ut caderem.* Adhuc perseverat in expolitione quinti versus: *De tribulatione liberauit me Dominus.* IMPELLENS impulsit, vehementissime impellunt & urgent me hostes, ut funditus euertar & delear, radicitus extirper, & nunc inquieti homines de religione dissidentes, aulas aduersus nos irritant. *Sed Dominus adiuuit me.* Eadem sententia, partim iisdem, partim mutatis verbis repetuntur.

XIII. *Fortitudo mea Dominus,* Metalepsis effectus pro causa: Dominus fortem me reddit, dominus sufficit mihi vires & robur, ut hostes virulentissimos vincere ac delere possim. Dominus pro me dimicat contra hostes: *Eine feste Burg ist unser Gott. Et laus mea,* Metalepsis, argumentum seu materia laudis meae. Benedicam seu laudabo Dominum omni tempore, quia factus est mihi in salutem, quia adiuuit & liberauit me ex omnibus periculis. Idem versus usurpatur à Mose, Exod. 15. Debora, Iudic. 5. Hanna, 1. Reg. 2. Esa. 12.

XV. *Vox Exultationis & Salutis.* Praen, seu Epinicion, seu carmen de victis & deletis hostibus triumphale, sonat in tabernaculis tentorijs, Iussorum, confugientium ardenti inuocatione ad turrin nominis diuini.

Dextera Domini fecit virtutem. Formula carminis eucharistici seu triumphalis, seu praenans à Dauide & tota Ecclesia decantati. *Dextera Domini,* non mea, non Ducum & militum meorum, fecit virtutem, obtinuit victoriam, liberauit me. Ajax non Dei sed sua dextera confidit, cum ait: Ignauos solere Deo iuuante vincere; se verò iactitat sine Deo victoriam obtenturum esse. Ita hypocritae suam sanctitatem, suas vires praedicant, ut Phariseus Lucae 18.

XVI. *Dextera Domini exaltata est, dextera Domini obtinet victoriam.* Eandem sententiam, iisdem verbis repetit & inculcat, ut in eius consideratione attentà lectorem detineat. Nunquam enim nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. Ideò Paulus etiam inquit: τὰ αὐτὰ θεοφείν ὑμῖν, ἐμοὶ δὲ ἐκνησέν, ὑμῖν δὲ ὠφελίμην. Socrates ad Xenophontem, τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν, assidue in schola repetit.

XVII. *Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Repetit hemistichion quinti versus, *Exaudiuit me in latitudine,* seu liberauit me Dominus ex periculis & doloribus mortis, (praesentem mortem intentantibus) & addit causam finalem, cur Deus ex periculis liberet, & mirandis victorijs defendat, ut narremus opera Domini, ut praedicemus, & doctrinam à Deo traditam, & miranda beneficia ac opera creationis, redemptionis, & gubernationis, ac defensionis Ecclesiae aduersus omnes hostes, ut nostro exemplo ac praedicatione alij etiam ad agnitionem Dei & mirandorum illius operum celebrationem inuidentur. Haec prima versus decimi septimi doctrina est.

Seruat enim Deus & defendit ac prorogat vitam suis ministris, donec eorum curriculum durat, ut aliqui sint superstites, qui doctrinam & opera Domini alijs enarrent & propagent. Sicut Apostolos, etsi saepe in periculum vitae venerunt, & morti vicini fuerunt, tamen non statim interfici & perire sinit, ut Euangelion in mundo latius circumferrent & propagarent. Sic primum de liberatione ex periculis praesentem mortem intentantibus in hac vita, hic versus intelligatur. 2. Cor. 1. Immodicè supra vires onerati sumus adeo ut desperaremus de vita. Responsum enim mortis in nobis habuimus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui suscitatur mortuos, Qui ex tanta morte liberauit nos, & liberat. 2. Cor. 4. ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' ὁ ὕψος τοῦ κράτους ἡμῶν ἀπορρήτοι, ἀλλ' ὁ ὕψος τῆς ἀπορρήτου. διωκόμενοι, ἀλλ' ὁ ὕψος τῆς ἐγκαταλήψεως κατὰ βάλλομενοι, ἀλλ' ὁ ὕψος τῆς ἀπολλύμενοι. πάντοτε τὸν νεκρῶσιν ὁ κύριος Ἰησοῦς ἐν τῷ σώματι ἡμῶν περιφέρει, καὶ ἡ

καὶ ἡ

Chytr

ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθή. 2. Cor. II. Ministri Christi sunt & ex-
cello ego: in laboribus, in fatigationibus perabundē: in verberibus, plus
fatis: in carceribus perabundē: in mortibus sæpē.

III. Simul etiam ex hoc versu discamus DEI DONVM ESSE VITAM
& prorogationem vitæ, eamq; à Deo dari & prolongari vt veram de Deo,
& redemptore nostro IESV CHRISTO doctrinam, & miranda opera ac
beneficia Dei, nosse discamus, & vsu ac exercitijs vitæ, fidem confirmemus, &
alios ad agnitionem & cultum veri Dei, & mirandorum operum creationis,
redemptionis, collectionis, gubernationis ac defensionis ecclesiæ celebra-
tionem, inuitemus; ac imprimis, vt aliqui senes, sapientia, vsu rerum, doctrina, au-
toritate, & diuina luce præstantes, docere & gubernare alios iuniores & im-
peritiores, & veram de Christo, de officijs iusticiæ, & alijs rebus bonis doctri-
nam ipsis impertiri possint. vt in Psalmo dicitur: In senecta Deus ne derelin-
quas me, vt annunciem brachium tuum (filium redemptorē Iesum Christum)
generationi omni, quæ ventura est, potentiam tuam. Psal. 92. Plantati in domo
domini, adhuc in senecta germinabunt, vt annuncient quoniam rectus Domi-
nus petra mea. Psal. 9. Exalta me de portis mortis, vt annunciem laudes tuas in
portis filiæ Zion. Hæc dicta ostendunt, propter quas causas longiora vitæ
spacia à Deo dentur: ad quem vsu seu finem præcipuum vita nostra, & omnia
vitæ consilia & actiones, referri debeant. Et refutant Epicureos maximæ par-
tis generis humani, fingentes casu fortuito oriri & occidere omnia, & sine cer-
to Dei consilio nasci ac mori homines, vt violæ aut rosæ decidunt: vel causam
mortis esse priuationem Aristotelicam somniant. Admoniti igitur hoc dicto,
à Deo seruari & propagari nobis vitam, & vires animæ ac corporis confirma-
ri petamus, & actiones vitæ omnes, ad Dei gloriam, & aliorum hominum
salutem referamus.

IIII. Ad æternam liberationem accommodetur,
quæ pij etiam finientes huius vitæ mortalis curriculum, morte non absorben-
tur, nec redit in nihilum, quod fuit antè nihil, sed in eam vitam, quæ sola vita
nominanda est, beatam consuetudinem & visionem Dei & redemptoris nostri
Iesu Christi, & celebrationem omnium beneficiorum ac operum diuinorum,
omnis miseriæ & doloris expertem transferuntur. Iohan. 5. 8. 11. Qui in Chri-
stum credit, non morietur, sed transibit à morte in vitam. Ita Stephanus, et-
iamsi ad præsens supplicium ducitur, tamen agnitione & fide Christi pro nobis
mortui & resuscitati, vincens æternam mortem, Ibat ouans animis & spe (se-
cutoræ vitæ æternæ) sua damna leuabat. Iob. 9. Etiamsi occiderit me Do-
minus, sperabo in eum. Quia non moriar sed viuam.

Confer Paulum & Socratem; vel Dauidem & Scipionem, quorum vter-
que sæpe periclitatur in prælijs, & mirandas victorias obtinet, tandem placi-
da morte extinguitur. Sed Scipio est sine fide, non agnoscit Deum præsen-
tem & adiutorem, sed casu victorias contingere putat, nec quidquam certò
statuit de æterna vita. Dauid prælucente vera agnitione Dei & fide præliatur,
& se à Deo iuuari & protegi, & à peccato ac morte æterna liberari statuit:
& quanquam duces aliqui interficiuntur & ipse moritur, tamen causam &
Ecclesiam scit non interituram esse, & se ex morte reuicturum, socium æter-
ni triumphi, & gloriæ apud DEVM fore.

V. Principaliter autem capiti Ecclesiæ, Filio Dei Domino & Redemptori
nostro Iesu Christo, victori mortis, & resurgenti ex morte, & datori vitæ æ-
ternæ, hic versus congruit: *Non moriar sed viuam & narrabo opera Domini.* So-
lus enim filius Dei moriens, propria potentia superat mortem, & absorpta
morte reuiuiscit tertia die, ac resurgit, & se resuscitatū totos 49. dies Apostolis

ostendit, eosq; docet de mirando consilio & opere Redemptionis generis humani hoc modo perficiendæ, vt Filius Dei Homo ac victima factus pro nobis moreretur ac resurgeret, & ascensu in coelum suo, nobis aditum in coelum & æternam vitam ac gloriam patefaceret. Per & propter hanc filij Dei de morte victoriam & resurrectionem, nos fide ad ipsum confugientes, & membra corporis ipsius facti, non delemur morte, sed vita cum ipso capite nostro fruimur sempiterna. VI. Cum de Liberatione à morte hic versus concionetur: sciamus simul liberationem à peccato, ira Dei, maledictione Legis, æterna damnatione, & omnia Christi beneficia positiua, atque ita totius Euangelij summam hoc loco simul complectendam esse.

XVIII. *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Repetit, paululum mutatis verbis, quinti & proximè præcedentis 17. versus sententiam, de tribulatione seu cruce & ærumnis piorum, & de vera earum causa efficiente, & finali præcipua, & liberatione tandem secutura. Non casu accidunt nobis calamitates, & tribulationes, exilia, morbi, persecutiones tyrannorum: sed DOMINO Deo sciente & volente. Dominus castigat nos, per Pharaonem, Diocletianum, per nostros calumniatores in aulis, per morbos, exilia. *Et castigans castigat*, satis acriter & duriter nos adfligit. non tamen vt morti tradat nos, & funditus delet, sed vt vocet nos ad poenitentiam, vt agnoscamus nostram immundiciem, & peccata, eaq; emendemus: Item, vt agnoscamus in castigatione paternam beneuolentiam, præsentiam, auxilium, & misericordiam Dei: vt crescat in nobis fides, inuocatio, patientia, constantia, & liberati ex morte ardentius & maiore robore bonitatem Dei celebremus & Deum confiteamur. Prorsus autem congruunt cum hoc Psalmi versu Pauli sententiæ, 1. Cor. 11. Cum iudicamur (adfligimur & tribulamur) à Domino castigamur, ne cum hoc mundo damnemur. Ebræ. 12. *Quem diligit Dominus castigat, & flagellat omnem filium quem recipit.* Psal. 119. Bonum est mihi Domine, quod afflixisti me, vt discerem iustificationes tuas.

Etsi autem viles nobis esse afflictiones Xenophon etiam affirmat, cum inquit: Multo difficilius esse res secundas rectè ferre, quàm res aduersas: quia res secundæ insolentiam in omnibus pariant: ærumnæ autem & calamitates plerosq; ad modestiam reuocent: tamen de voluntate Dei nihil dicit, à quo se abiectos esse, vel certè negligi & deferi in magnis calamitatibus ethnici iudicant. Psalmus autem testatur, voluntatem Dei esse, non perdere & morte extinguere ac delere, sed per poenas reuocare nos ad poenitentiam, & fide confugientibus ad thronum gratiæ Christum agnoscere, & opem auxiliumq; tempore opportuno ferre.

XIX. XX.

*Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.
Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.*

Sequentes decem versus, vsque ad Psalmi finem, alteram Gratiarum actionis partem, seu accepti beneficij & liberationis ex omnibus periculis prædicationem & celebrationem gratam & memorem continent, vt DEVS dator beneficij honore debito afficiatur, & alij etiam homines ad Dei bonitatem agnoscendam & celebrandam, & petendum ab eo in ærumnis auxilium inuitentur. Simul autem *Locos Doctrinæ* de CHRISTO Lapide seu fundamento Ecclesiæ & salutis nostræ vnico & immoto, & Ecclesia super eum ædificata, & de Ministerio Ecclesiæ, & precatione pro Ecclesia, & felicitibus Christi regni successibus, intexit. Ordine autem singulos versus enarrabo.

Ape-

Aperite mihi portam iustitiae, Ecclesiam seu coetum iustorum, confitentium Domino, qui Deum recte agnoscit, inuocat & colit iuxta ipsius verbum, & pressus cruce ac ærumnis fide confugit ad Deum, & liberatus gratias agit, & celebrat Deum. Hæc definitio Ecclesiæ, perspicuis verbis hoc loco tradita est. *Porta* significat vsitata Hebræis Metonymia continentis pro contento multitudinem ac coetum hominum, in vna curia seu aula seu porta conuenientium. nam apud orientales populos, in portis conuenire Magistratus, Senatores, Iudices & reliqua multitudo, ad celebranda iudicia, & publicas de Republica deliberationes, vt apud nos in curijs medio ciuitatum loco fere fitis solebant, & hodie adhuc aula Turcica, Ianuæ seu Portæ nomen in toto imperio Turcico retinet. Sic Ecclesia hoc loco, *Porta Domini*, id est, ciuitas seu regnum Dei, seu coetus hominum vni domino Christo subiectus & obtemperans: & *Porta iustitiae*, coetus iustorum Deo placentium & hæredum vitæ æternæ, qui confitentur se saluatos per Christum petram salutis nostræ, (qui quamuis reprobatus est à gubernatoribus & doctoribus, & affixus cruci, tamen non moritur, sed viuit, & fundamentum est totius Ecclesiæ) definitur.

XXI. *Confitebor tibi quia humiliasti me, & factus es mihi in salutem.* Confessio & gratiarum actio, quam in porta Domini se sonaturum, Dauid in posteriore hemistichio 19. versus adfirmat. Confitebor seu gratias agam Domino, quod adflixit, & rursus liberauit & saluauit me. Simul autem ad Ecclesiæ descriptionem hic versus pertinet, declarans, Quid sit? coetus confitentium veram de Deo & Christo saluatore doctrinam, recte inuocantium Deum, & vera fide ac obedientia colentium. Qualis sit species Ecclesiæ? humilis, exigua, imbecillis, adflicta, oppressa tyrannide impiorum, collecta exilio pubes, miserabile vulgus, sedens inter leones, vt Daniel, vt Noë arca in diluuium fluctuans. Qui cultus? Confessio, inuocatio, patientia in cruce, predicatio doctrinæ & beneficiorum Dei, vt alij inuidentur. Quæ liberationes? in hac vita & æterna per Christum ducem & liberatorem seu saluatorem ecclesiæ, de quo sequens versus concionabitur.

XXII. *Lapidem, quem reprobauerunt adificantes, hic factus in caput anguli.* Etsi Dauid quoque fuit lapis, reiectus primum à Saule, & maxima parte populi Israël, qui postea caput anguli, hoc est, Rex & caput totius populi constitutus est: tamen principaliter de Christo capite & fundamento ecclesiæ, hunc versum intelligi debere, Christus ipse Matth. 21. 16. 7. Petrus Acto. 4. 1. Pet. 3. Paulus Ephes. 2. Rom. 9. Esaias cap. 28. & alij testantur. Nominatur autem in scriptura Christus LAPIS, quia est firmum & solidum fundamentum ecclesiæ Dei (1. Corinth. 3. Actor. 4.) quod ad MERITUM remissionis peccatorum & SALVTIS æternæ: quod ad fontem & patefactionem doctrinæ: quod ad efficaciam per ministerium verbi & sacramentorum; quod ad firmitatem & potentiam in defensione ecclesiæ miranda attinet. Actor. 4. Christus, quem vos crucifixistis, est lapis reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in aliquo alio salus. Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluari. Etsi enim super fundamentum prophetarum & Apostolorum etiam, ecclesiam extructam esse, Paulus scribit: id tamen, non de merito & efficacia sed tantum de ministerio, testimonio, & propagatione doctrinæ de Christo, vnico saluatore, intelligendum est.

Ædificantes seu architecti sunt omnes doctores, seu ministri & gubernatores ecclesiæ, qui lapides viuos, homines, Iudæos & gentes, per ministerium euangelij supra lapidem & petram salutis Christum, ædificare, h. veram agnitio-

Chytr

agnitionem Christi, veram fidem, consolationem, iustitiam & vitam in eis accendere: atq; ita Fide huic petrae impositos & adglutinosos, membra ecclesiae, quae est domus Dei, & vitae aeternae haeredes, efficere debent. Tales veri & salutare architecti sunt, Prophetae, Apostoli, & omnes fideles ministri omnibus temporibus. Principes autem Sacerdotum, & Gubernatores in populo Iudaico, impij Pontifices, Pharisei & scribae Christum auersantur, reprobant & crucifigunt. & nostro tempore Pontificij doctores plerique, aedificant homines non super solum Christum, sed simul super propria bona opera, super sacrificia missarum, vota monastica. Hi infideles architecti, Iudaei & alij, abijciuntur à Deo: & ad societatem ecclesiae vocantur gentes. Atq; ita Christus efficitur CAPUT ANGULI, summus lapis angularis, sustentans &nectens duos parietes, Iudaeos & gentes, in vnius Ecclesiae societatem coniungens. *Nec est in aliquo alio salus.* Non enim est nomen aliud (seu res alia) datum hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri. Hæc sententia opponatur omnibus omnium gentium religionibus, quæ Christum ignorant aut aspernantur. non Turci, non Ethnici, non Plato, Xenophon, Socrates, etsi honestissime mores reuerunt, haeredes salutis aeternae fieri possunt. Nam qui non credit in Filium Dei Iesum Christum, condemnatur. Nec per vllam rem aliam, quam per Christum fide agnitum & apprehensum, salus contingit. Ideo friuolæ & impie aduersariorum nugæ sunt, qui ad Missas, ad opera monastica, ad inuocationem sanctorum, ad peregrinationes, aut proprias virtutes & beneficia homines de salute aeterna sollicitos deducunt: Nec Patres, Adam, Noha, Abraham, Ioseph, Moses, Dauid vlla ratione alia, quam per Gratiam Domini nostri Iesu Christi, fide saluari sunt, vt Act. 15. Rom. 4. Ioh. 8. & alibi clare dicitur. Continet autem hoc dictum Petri amplissimam doctrinam & consolationem, Quare in omni vita, & in quotidiana inuocatione, semper in conspectu sit. Et addatur huic tota doctrina de Euangelio & iustificatione, cuius fundamentum est hæc sententia: Non est in alio salus. Est autem Lapis angularis & CAPUT ecclesiae Christus, quod ad principium & fontem vitae, ordinem, dignitatem, regnum, sacerdotium, meritum & efficaciam attinet. quod in explicatione doctrinae de Filio Dei nuper mediocri diligentia euoluimus.

XXIII. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Christus lapis angularis seu caput & saluator ecclesiae, non humano consilio, sed à Domino Deo patre aeterno constitutus & missus; mirando iustitiae & misericordiae diuinae temperamento, Mediator & Victimam factus; diuina potentia peccatum & mortem aboleuit, & omnibus ad eum fide confugientibus, factus est à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hæc concio de Christo crucifixo, fonte & datore vitae ac salutis aeternae, prorsus mirabilis & stulta rationi humanae videtur, 1. Corinth. 1. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis & Gentibus, Christum dei potentiam, & Dei sapientiam. Alij ad speciem ecclesiae externam, humilem, ærumnosam, contemptam & spretam, accommodant. Quæ tamen nihilominus ingentem & mirandam Gloriam habeat: 1. Possessionem doctrinae à Deo traditæ, veræ agnitionis Dei & voluntatis ac iudicij diuini, & vitae ac gloriae aeternae. Deu. 4. 2. Scit se Deo curæ esse, ab eo exaudiri, defendi, iuari, & saluari. 3. Conseruatur mirabiliter contra omnium tyrannorum violentiam, vt Daniel inter leones. 4. Excellentes doctores & gubernatores, prophetae prædicantes futura, regentes consilia politica, Apostoli, patres, Ambrosius, Augustinus. 5. Virtutes ecclesiae, Fides, constantia in supplicijs,

cij, confessio. 6. Hereditas vitæ æternæ. Admiranda hæc ornamenta longe antecellunt ethnicis & omnium gentium cœtibus.

XXIII. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Hic est Sol iustitiæ, seu vita & lux hominum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, h. lucem veræ agnitionis Dei, & vitæ æternæ in mentibus audientium Euangelion accendens. vt in Iohanne Christus lux mundi, & vita, quæ erat lux hominum, nominatur. Vel, Hoc est tempus Noui Testamenti, dies victoriæ ac resurrectionis Messia, qua per Christum lapidem seu petram saluris nostræ, à peccato & morte liberati sumus, & iustitia ac vita æterna nobis restituta est. Præcipui autem dies Noui Testamenti sunt dies conceptionis Christi (de quo Antiphona vetus grauiissima extat: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: Hodie Dominus ad afflictionem populi sui respexit, & redemptionem misit. Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina semen fugauit. Hodie Deus Homo factus est. Id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit. Ergo exordium nostræ redemptionis deuotè recolamus, & exultemus dicentes: Gloria tibi Domine.*) Et dies Resurrectionis Christi, in cuius honorem, Dominicam diem pro Sabbato in ecclesia Christiana celebramus. sicut Synodus Casariensis, ad diem dominicam hunc Psalmi versum accommodat: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Constituite diem solennem in frequentationibus. & Ignatius ad Magnesios: Pro Sabbato diem festum celebret omnis Christianus, dominicam resurrectionem eminentissimam & regalem omnium dierum, de qua Propheta expectans, dicebat; in finem pro octaua. in qua die, & vita nostra exorta est, & mortis in Christo facta victoria.

Quod beneficium redemptionis ac liberationis æternæ, solius Dei, seu misericordiæ & omnipotentia diuinæ opus est. pro quo grata mente & voce, & vero ac ardenti pectoris motu, Deum celebrare, & nostra causa exultare & lætari debemus, vt virgo Maria, exhibito Messia, canit; *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo saluatore meo.* Et Abraham videns diem Christi lætatus est. Nec tantum arcana lætitia in corde fruuntur, vt omnes iustificati fide pacem habemus in Christo Iesu, verum etiam clara voce & hymnis gratias agunt Deo, prædicant beneficia Dei, inuocant & celebrant Deum, sicut iam exemplum inuocationis & celebrationis subiicitur.

XXV. *O Domine da salutem. O Domine da prosperitatem.* Ebraicè: *Ana Jehoua Hosanna, Ana Jehoua Hazli Hahna.* Age Domine, adiuua quæso hunc regem Davidi promissum, des prosperos successus regno Messia, defende & salua ecclesiam tuam per hunc Saluatorem patrib. promissum, reprime & depelle diabolos & tyrannorum furores, delere hoc regnum violentis persecutionib. & fraudibus molientes. Fac vt multi Euangelion Christi & hunc victorē peccati & mortis rectè agnoscant, & ad veram agnitionem & cōmunionem beneficiorum Christi, & vitam æternam perueniant, vt ampla ecclesia in his terris Christo colligatur, celebratura Deū, in hac vita & in omni æternitate. Vt autem Christo ingredienti Hierosolymam hunc versum pij canebant (Matth. 21. Mar. 11. Ioh. 12.) precantes, vt Deus regnum Messia iuuet, & ecclesiam defendat, & prosperos ac felices successus ministerio euangelij tribuat: Sic omnium tēporū ecclesia precatur, vt sanctificetur nomē Dei, & regnū illius adueniat, & voluntas Dei in cœlo & terra fiat. Hæc plixiore paraphr. ex Catech. euoluatur.

XXVI. *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini.* Prius Hemistichion est confessio, profitens hunc regem Messiam esse benedictum illud semen Abrahamæ promissum, in quo omnes Gentes terræ

terra benedicenda sunt, liberans nos à maledictione Legis, peccati & mortis, qua oppressi sunt omnes homines, non seruantes omnia quæ præcipiuntur lege Dei, seu non conformes normæ legis; & nobis BENEDICENS, hoc est, remissionem peccatorum, iustitiam, vitam æternam, & alia præsentis vitæ bona donans, Et ipse est autor & dator iustitiæ & vitæ æternæ. *Qui venit in nomine Domini*, non tantum vt Iosua, Dauid, & cæteri à Deo vocati, Deo mandante, ministeria certa susceperunt, quæ gubernauit Deus, & ipsi inuocantes Deum res magnas feliciter gesserunt, iubente, gubernante & adiutuante Deo; inuocantes ipsum & mandata munera sedulo obeunt: verumetiam venit vt promissus Liberator, ab æterno Deo ordinatus Redemptor generis humani, vnctus præ confortibus suis, summus Sacerdos & Rex ecclesiæ, vt mandante Deo, potentia diuina, regnum peccati & mortis aboleat, ac vitam æternam restituat. *Benediximus vobis de domo Domini.* Vt prius hemistichion, Regem Christum semen benedictum, ita posterius, Ecclesiæ, Christo regi subditæ, & ministerium Euangelij ac ministrorum ecclesiæ officium propriū describit. ECCLESIA est domus Domini, in qua Deus ipse habitat, & *Benedictionem* Abrahæ promissam, per patres, prophetas, & alios ministros nobis annunciat & impertit. Hanc benedictionem Abrahæ promissam sonuerunt Adam, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Esaias, Daniel, & alij, eamq; magnis certaminibus propagarunt. Est autem vox huius Benedictionis, ipsum *Euangelion*, annuncians Deum per & propter Filium, semen Abrahæ pro nobis factum, Benedictum & Benedicentem nobis, propitium esse, nos Deo curæ esse, à Deo diligi, respici, exaudiri, iuari, & mirabiliter etiam in hac vita regi & seruari. Hanc Benedictionem in Euangelio annunciatam & oblatam amplectamur, & ad Deum in omnibus periculis confugiamus, & auxilium ac liberationem præsentem ac æternam expectemus.

XXVI. *Dominus Deus est illuminator noster.* Ornate festum frondibus usq; ad cornu altaris. Summa Benedictionis, quam in domo Domini patres & Prophetæ sonant: *Dominus est Deus illuminator noster.* Christus est verus Deus, qui accendit per euangelion in mentibus nostris lucem veræ agnitionis Dei, veræ iustitiæ, veræ consolationis & vitæ, depellit tenebras ignorationis Dei, peccati & mortis: & liberatos ab omnibus malis donat læticia & gloria sempiterna.

Congruit autem prius hoc hemistichion cum dictis Christi, Ioh. 8. Ego sum lux mundi. & Ioh. 1. Erat lux illa lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Luc. 1. Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Vt enim Sol fons lucis & caloris vitalis, totum mundum illustrat: sic Filius Dei dominus noster Iesus Christus, fons lucis & vitæ æternæ, per Euangelion, mentes hominum, tristissimis tenebris ignorationis Dei, peccati & mortis oppressas illuminat, h. lucem veræ agnitionis Dei, & veram consolationem, iustitiam, vitam, gaudium conscientie, à terroribus peccati, legis, diaboli, mortis liberatæ, deniq; vitam & lætitiā æternam in eis accendit. Id nominant Illuminare Psalmi, Iohannes Euangelista cap. 1. Esaias cap. 61. Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum. Aaron Num. 6. Illuminet vultum tuum super te. Micheas, Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Zacharias sacerdos, Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Simeon, Lumen ad illuminationem gentium. Christus, Ego sum lux mundi: & Apostoli passim. Euoluantur autem tenebræ humanarum mentium, ignorantium quid sit Deus? Quæ sit erga nos eius voluntas? Quæ sint vera & summa bona? Quæ consolationes in morte & cæteris calamitatibus? deniq; omnes peccato & morte oppressi sunt. Ab his malis solus hic Dominus

minus benedictus & benedicens nos liberat, & *LVCEM* veræ intelligentiæ, & agnitionis paternæ erga nos voluntatis Dei accendit.

Sequens hemistichion: *Ornate festum frondibus vsq; ad cornua altaris.* Ut doctores & ministri benedicere, h. promissam Abrahæ benedictionē in Christo festum ornare seu ritè agere, h. reuerenter audire annunciatam per Patres benedictionem, rectè agnoscere Deum, & quem misit *IESVM CHRISTVM*, lapidem angularem seu redemptorem & caput ecclesiæ, & fide in ipso acquiescere, gratias agere, & vero corde obedire iubet. Est autem Metonymia signi pro signato. Nam vtitur diebus festis pompæ, frondes, thymiamata, ornatus templorum, signa erant de vera celebratione seu sanctificatione sabbati homines admonentia. Vera autem sanctificatio sabbati, seu celebratio diei festi, est in publicis ecclesiæ congressibus, Docere & Discere veram de Deo doctrinam, seu prædicare & audire ac fide amplecti Euangelion de Christo Mediatore & summo sacerdote ac rege ecclesiæ, vera fiducia Christi mediatoris inuocare Deum, & communi multorum voce gratias agere, & hymnis ac conuentibus. Euangelion ad posteros propagare. Abothim, frondes, à complicando seu dentè cōstringendo dicuntur. sicut *ISER*, quod per Ain, Samech, Res scribitur, quod ornare verterunt, propriè ligare seu vincire significat. Ligare seu vincite festum frondibus, quæ fragrantissimæ in illis regionibus confestim, sunt piæ conciones de Deo, preces & gratiarum actiones, quæ ut vicio Nohæ dicitur: Odoratus est Dominus odorem suauitatis. *Vsq; ad cornua altaris.* Duo erant in tabernaculo seu templo Mosaico altaria. Aeneum in atrio, supra quod holocausta & cætera pecudum sacrificia quotidie offerebantur: & thymiamatis, aureum, in sancto, in quo semel tantum quotannis summus Sacerdos, asperso cornibus sanguine vituli & hirci, peccata populi expiabat, Exod. 30. Leuit. 16. Vtriusq; altaris anguli quatuor cornibus insigniti erant, Exod. 27. 30. ad quæ hoc loco Psalmus alludit. Qui Altaris mentionem faciens, vno in loco diuinitus constituto, vbi tabernaculum fœderis seu templum & sedes sacerdotum Episcopalis erat collocati, supra quod solum ordinariè sacrificia offerre licebat, simul admonet, ut Israëlita ad vnum altare, ad vnum ministerium in tabernaculo deuincti erant: *ἐν δαμον πολίεθρον* ita nos ad certum verbum à Deo traditum & ministerium eius verbi alligatos esse. nec licere proprio arbitrio dogmata & cultus comminisci. Obediendum autem esse præpositis seu ministris, verbum à Deo traditum piè sonantibus, iuxta illud: Qui vos audit (verbum meum docentes) me audit. Sic frondes contextuntur & alligantur altari seu ministerio verbi.

XXVIII. *Deus meus es tu: & ego confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.* Vera celebratio festi, toto vitæ piorum tempore durans, est Fides certo ac firmiter in corde statuens seu credens, & ore, ac totius vitæ obedientia, hanc confessionem edens: *DEVS MEVS ES TV.* *TV IEHOVA*, qui te in populo Israël, tradito certo verbo & testimonijs miraculorum patefecisti, & Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum semen benedictum patribus promissum misisti: Tu solus es vnicus, æternus & omnipotens Deus, & *DEVS MEVS*, qui me verè curas, diligis, respicis, me inuocantem exaudis, me clamantem ad te in periculis liberas, & vita ac salute sempiterna donas, propter Filium tuum Mediatorem. Ideo confitebor seu gratias agam tibi in hac vitæ

hac vita & omni æternitate. Hæc summa angelorum & hominum sapientia est. Et totum ferè Psalterium, nihil aliud, quàm Enarrationem, Applicationem, & Praxin seu exercitationem horum verborum: *Deus meus es tu, & confitebor tibi.* seu primi præcepti, *Ego sum Dominus Deus tuus*, continet. Psal. 91. Dicit Domino, spes mea, refugium meum, *DEVS MEVS*, sperabo in eum. Psal. 140. *Deus meus es tu*, exaudi vocem deprecationis meæ. Psal. 143. Doce me facere voluntatem tuam, Quia Deus meus es, spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam. Psal. 146. Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes in Domino Deo ipsius. Nolite confidere in principibus. Ethnici dubitantes, an sit Deus, an Deo curæ sint, an preces exaudiat, non sonant hunc versum, *DEVS MEVS ES TV*. Nec in Ecclesia Dei solum legis doctrinam audientes, Cain, Saul, Iudas, qui fugiunt, & irascuntur Deo. Tantum qui credunt Evangelio, agnoscunt Deum sibi placatum & propitium esse propter Filium, exaudire, iuuare, liberare, & saluare nos. Ideoq; eum exaltant & celebrant.

XXIX. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* EPILOGVS totius carminis eucharistici, in quo, iisdem verbis Propositio repetitur. Quam, vt initio huius Psalmi euoluta & explicata est, pietatis studiosi piæ & religiosæ mentis attenta meditatione repetant, & formulas Gratiarum actionis ad Deum, eruditè ac piè ab artificibus compositas, adiungant: Quales sunt à communi præceptore nostro præscriptæ, quibus in quotidianis ad Deum orationibus nostris, singuli vtamur. Hortor etiam eosdem, vt *PRECVM* formulam à CL. & doctiss. principe Ioan. Pico Mirandula, eruditissimè & grauissimè elaboratam sibi familiariter notam reddant.

*Alme Deus, summa qui maiestate verendus,
Verè vnum in triplici numine numen habes.
Cui super excelsi flammantia mœnia mundi
Angelici seruit turba beata chori.
Cuius & immensum hoc, oculis spectabile nostris
Omnipotens quondam dextra creauit opus.
Aethera qui torques, qui nutu dirigit orbem,
Cuius ab imperio salina missa cadunt.
Parce precor miseris, nostras precor ablue sordes,
Ne nos iusta tui pœna furoris agat.
Quod si nostra pari pensentur debita lance,
Et sit iudicij norma seuera tui:
Quis queat horrendum viuientis ferre flagellum
Vindicis, & plagas sustinuisse graues?
Non ipsa irata restabis machina dextra,
Machina supremo non peritura die.
Que mens non prime damnata ab origine culpa:
Aut qua non proprio crimine facta nocens:
Tu certe ille ipse es, proprium cui parcere semper,
Iustitiamq; pari qui pietate tenes:
Præmia qui vt meritis longè maiora rependis,
Supplicia admissis, sic leuiora, malis.
Christe, tua est nostris maior clementia culpis,
Et dare non dignus, res mage digna Deo est.
Quamquam sat digni, si quos dignatur amare,
Qui, quos non dignos inuenit, ipse facit.
Ergo tuos placido miserans, precor, aspice vultu
Seu seruos manus, seu magis esse reos.
Nempe reos: nostra si spectes crimina vita,
Ingrata nimium crimina mentis opus.
At tua si potius in nobis munera cernas,
Munera præcipuis nobilitata bonis:*

*Nos sumus ipsa olim tibi quos natura ministros,
Mox fecit natos gratia sancta tuos.
Sed premit (heu) miseros tanta indulgentia sortis,
Quos fecit natos gratia, culpa reos.
Culpa reos fecit, sed vincat Gratia culpam,
Vt tuus in nostro crimine crescat honor.
Nam tua siue aliter sapientia, siue potestas,
Nota suas mundo prodere possit opes:
Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
Illeq; præ cunctis fulget amandus amor:
Qui potuit cælo Dominum deducere ab alto,
Inq; crucem summi tollere membra Dei.
Vt male contractas patrio de semine sordes
Ablueret lateris sanguis & vnda tua.
Sic amor & pietas tua, rex mitissime, tantis
Dat mala materiam supplicare bonis.
O amor, o pietas, nostris bene prouida rebus,
O bonitas serui facta ministra tui!
O amor, o pietas, nostris male cognita seclis!
O bonitas nostris nunc propè victa malis!
Da precor huic tanto, qui semper seruet, amor,
Ardorem in nostris cordibus esse parem.
Da satana imperium, cui tot seruasse per annos
Pœnitet: excusso, deposuisse, iugo.
Da precor, extingui vesana incendia mentis,
Et riuus in nostro pectore viuat amor.
Vt cum mortalis persunctus munere vita
Ductus erit Dominum spiritus ante suum:
Promissi regni felici sorte potitus,
Non Dominum, sed te sentiat esse patrem.*

F I N I S.

DAVI.